



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 6. Malè urget Appendix quod haec doctrina nata sit homines in
desperationem praecipitare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

positum S. Gregorius : Benè , inquit , de reprobis dicitur , involutæ sunt semitæ gressuum eorum , quia recta quidem deliberando appetunt , sed ad consueta semper mala replicantur , & quasi extra se tensi , ad semetipsos per circuitum redeunt , qui bona quidem cupiunt , sed à malis nequaquam recedunt . Esse quidem humiles , sed tamen sine despectu : esse contenti propriis , sed sine necessitate : esse casti , sed sine maceratione corporis : esse patientes , sed sine contumeliis volunt : cumquè adipisci virtutes quærunt , sed labores virtutum fugiunt , quid aliud quàm exhibere belli certamina in campo nesciunt , & triumphare in urbibus de bello concupiscunt ?

§. VI.

Malè urget Appendix quod hæc doctrina nata sit homines in desperationem præcipitare.

Sed urget Appendix , quod hæc nata sint innumeros in desperationem præcipitare . Sed panicus est ille timor : jam enim magis confidere debent , quòd eis malæ spei fulcrum eripiatur , & solidæ spei , unde confundendi non sunt , juxta divinæ Scripturæ regulas , ratio demonstretur . Si hæc infirmitati eorum magna sint , adest Dominus ut qui jubet , juvet , neminem deserens (ut notat Au-
gu-

*In Ps. 32.
conc.*

gustinus) laborantem & clamantem ad se. Bonum autem eis est veræ pœnitentiæ arduitatē agnoscere, ut debitum pro ea laborem minùs refugiant. Quo facto arduitas ejus levigatur & minoratur. Hinc S. Gregorius moraliter exponens illud lib. 1. Reg. cap. 6. FACIETIS SIMILITUDINES, &C. SI FORTE RELEVET MANUM SUAM A VOBIS. *Quid aliud, inquit, in hoc verbo dubitationis accipitur, nisi quia difficilis ostenditur reconciliatio criminoforum? Vndè & per Jonam dicitur: QUIS SCIT SI CONVERTATUR ET IGNOSCAT DEUS? Quia ergò si fortè relevet manum dicitur; commoveri ad pœnitentiæ lachrymas cum magna fortitudine debemus: quia etsi hi qui pœnitentiam austeram faciunt, vix fiduciam salutis inveniunt; negligentes salvi fieri quando possunt? Quæ profectò reconciliatiōnis difficultas, si in pœnitentium æstimatiōne tenetur, apud omnipotentem Deum nequam invenitur: quia & dum Ninivite velut pro difficili reconciliatiōne gravi pœnitentiâ se dejiciunt, omnipotentis Dei misericordiam facile meruerunt, &c.*

Lib. 3. c. 4.
in l. 1. Reg.

